

Congestóq; avidum pinguescere corpus.

Alteriusq; animantem animatis vivere letho.

Æneid. Componens manibúsq; manus atq; oribus ora.

Plaut. Hoc satius est, satis est, quod satis est.

Id. in Amphitr. Iustam rem & facilem esse oratum à vobis volo.

Nam iuste ab justis justus sum orator datus.

Nam injusta ab justis impetrari non decet.

Iusta autem ab injustis petere insipientia est.

Haecenus figuræ Dictionis: sequuntur figuræ Sententiæ.

## C A P U T XXV.

### I. FIGURA SENTENTIÆ

est, quæ totam sententiam aliquo animo motu afficit.

(Figura sententiæ dicitur, quia non in dictionibus figurandis occupatur, nec vulgarem situm verborum mutat, corpusve orationis auget, sed varios affectus animi exprimit, & sic sententiam totam animi motu afficit, eóq; ipso vitam ac motum orationis addit. Sic ille apud Terentium figura sententiæ illustratur: Filium unicum adolescentulum habeo. Ah quid dixi habere me? imò habui Chreme, nunc habeam, nec nec, incertum est. Hic tota oratio sive sententiæ figuratur & afficitur motu dolentis. Proinde hæc est figurarum dictionis & sententiæ differentia. 1. Figura sententiæ sententias illuminat: Figura dictionis dictiones aptè inter se resonantes ordinat. 2. Illa non potest aut debet sine animi affectu & perturbatione esse: Hæc verò potest. 3. Illa vulgarem situm verborum nec mutat, nec auget: Hæc verò mutat & auget. 4. Illa ad movendum & per vincendum plurimum valet: Hæc verò ad dicendum & delectandum multum valet. 5. Illius virilis quedam dignitas est: Huius mollis & delicata venustas est. 6. In illa sunt nervi & thori: in hac sunt color & sanguis orationis, ut inquit Tullius l. 1. Rhet. c. 3.)

G

Figuræ